



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10263

De S. Romano Burdegalensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

nasterium habebatur reclusus. Qui cum summa festinatione monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens, hortatus est, dicens: Oportet te, dilectissime frater, insidijs diaboli resistere viriliter, & nihil de eius dolositate pauescere: sed omnia, quę intulerit, oratione assidua, ac signo Crucis econtrā apposito euincere, quia talibus semper tentationibus seruos Dei nititur expugnare.

Migrat ad Dominum. Senuit autem vir beatus, & impleto boni operis cursu, migravit ad Dominum. Cuius nunc tumulus sapius diuinis glorificatur virtutibus. Hęc tantum de sancto viro cognouimus, non dijudicantes alios, qui maiora de eo cognouerunt, si voluerint aliqua in eius laudem conscribere.

DE SANCTO ROMANO BURDEGALENSIS
PRESBYTERO, EX DIVI GREGORII TYRONENSIS
Archiepiscopi De gloria Confessorum Cap. 46.

24. Nouēb.



Eccē sancti
inuocatio,
& ad inuocatio-
nem xliij exhibi-
tio.

ABETVR in hoc territorio & sanctus Romanus Presbyter, quem, ut scripta vitę eius edocēt, Martinus non longe sepultura locauit. Est autem sepulcrum eius contiguum Blauensi castello, super litus amnis Garonnę, in quo de pius naufragio perituri, virtute eius saluati sunt, proclamantes inter fluctus torrentis vndosi: Misereri nostri, sancte Romane Confessor Dei. Mox enim, sedata tempestate, optato litore positi sunt. Nec enim fas est, vllum perire naufragio, qui eius basilicā amnis de medio conuoluari meruerit. Quod & nos in grandi necessitate experti sumus. Nam cū imber creberrimus per multos defluens dies, amnem Garonnā extra litora eiecisset, atque impellente vento validis fluctibus exundaret, eleuarenturque fluctuum montes validi, qui non paruum intuentibus ingererent metum, exoratus beatus Confessor obtinuit, sicut credimus, virtutis suę suffragio, ut compressis fragoribus, planum præberet flumen alueum. Et sic ingressi nauem, ad ripam alteram sine periculo sumus deuecti.

INVENTIO ET TRANSLATIO CLARISSIMI
MARTYRIS S. GEREONIS, A RVDOLPHO
Abbate sancti Trudonis conscripta anno Domini 1121. aut circiter.

Nouēbr. 24.



RVDOLPHVS gratia Dei id, quod est, omnibus sanctorum martyrum pię amplectentibus memoriam, sanctorum martyrum consortium. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo primo, turbata iam antē per aliquot annos Ecclesia & regno sub Imperatore Henrico, cuius pater Henricus Leodij obiit: multi Episcoporum & Abbatum, & de omni ordine & gradu clerici & monachi expulsi à suis sedibus, hęc illacque ferrebantur, propter communionem Imperatoris, quam vitabant: quia excommunicauerat eum dominus Papa Calixtus II. secutus in eum sententias prædecessorū suorum Gelatij atque Paschalis. Hac tempestate, eademque de causa, eoque maxime, quia Friderici Leodiensium Episcopi electioni & consecrationi faueram, expulsus sum & ego de cœnobio beati Trudonis * Idus Aprilis, quarta feria Dominicę resurrectionis cū in eo indignus præsedissem duodecim iam annos, & duos menses, & ut putato, dies quatuordecim. Susceptusque sum eodem anno misericorditer à domino Archiepiscopo Colonienfi Friderico, eiusdemque Ecclesię studio, & fratrum electione positus sum Abbas in cœnobio beati Pantaleonis extra muros ciuitatis octauo Idus Septembris, cū iam vacasset à quarto Calendas Ianuarij.

* Videtur
deesse nu-
merus, aut
certē ludi-
bus legen-
dam.

Nec